

uerit, nisi quis ipsius libri, cuius partem omnino constituunt, eandemque insigniorem, in dubium uocare uelit *Θεοπνέυσταν*.

VII. Posterioris generis mihi illae sunt, quando in lamine historiae, a Mattheo, aliisque confessae, legitur *Εὐαγγέλιον κατὰ Τὸν Ματθαῖον, Μάρκον, Δούκαν, Ιωάννην*. Quales in reliquis pariter libris reperiuntur. Has ad unum omnes sequiori demum aeuo appositas, nec ab ipsis Viris *Θεοπνέυστοις* profectas esse, saluis secus sententium iudiciis, existimo. Quam sententiam, si rationes deessent, auctoritatibus facile tueri possem Virorum sane, omnium consensu, *κριτηνότατων*. In his numerandus merito est Erasmus, qui tamen Ecclesiae sese submittere uoluit iudicio, in que eiusdem acquirescere decisionibus. Profiteor, inquit, me de titulis quoque credere, quod credit uniuersalis Ecclesia, cuius autoritati facile sensum meum submitto, non hic tantum, sed in omnibus quoque ceteris, modo ne protinus Ecclesiae sit, quidquid quocunque modo in usum Christianorum irrepfit, aut cuiuis Episcopo placuit. Leguntur haec uerba, in Declaratione ad Cens. Fac. Theol. Paris. a qua grauissime notatus, et multorum errorum insimulatus erat. Credo tamen idē forsitan Erasmus Ecclesiae stare iudicio uoluit, ne Sorbonam nimis offenderet, et *αιρετικῶν* insereretur catalogo. Interim post Erasmum Maldonatus, in cap. I. Matthei titulorum *αὐτεντίαν* inficiatur, cuius rationes a iudicio commendat Rich. Simonius, qui ipse diserte profitetur, nullam plane, eandemque solidam, adesse rationem, ex qua indubitate innotescat, titulos ab illis esse adiectos, qui libros conscripterunt. Vid. Hist. Critic. N. T. cap. II. p. m. 14. His addo Io. Millium, ad Inscriptionem Euangelii Matthei, cuius sententia eoredit, *Inscriptiones, Euangeliis praefixas, non quidem adpositas fuisse ab ipsis Evangelistis, sed a Christianis primi uel secundi seculi, quibus euidentissime constabat, Euangelia haec ab iis, quorum praeferunt nomina, fuisse conscripta.*

IX. Posset opera faciliori tota haec quaestio decidi,

si